

ajunt, si aut ignoraverint hæreticum illum esse, cui patrocinantur, aut quo casu contra absentem hæreticum proceditur, velint tantum allegare quasdam justas absentie causas ad suspendendum iudicium, vel intercedendum pro eo, qui paratus sit ad abjurandum: quibus tamen in speciebus tutius consilium idem Pragmatici proponunt Advocatis, quo postulent abs iudice, ut ex officio deputentur, ac vocentur ad allegandas, quæ reo competere possent, exceptiones; tunc enim futurum scripserunt, ut poenas omnes evadant. Si de iis agatur, qui non quidem hæreticis favent, sed alia de causa suspecti sunt de hæresi, etiam si gravis suspicio sit, poenis hæreticorum non subjiciuntur. Verum quousque iudicis animus in dubio versetur, accusatus vel inquisitus erit ad purgationem criminis admittendus, adeo ut si canonicè purgetur, poenas omnes evadat. Quod si iudici videatur gravissima esse hæresos suspicio, nec reus satis purgatus adpareat, reus idem pro conjecturarum qualitate arbitrio iudicis extra ordinem poena, poenitentiae plectetur, cap. 9. vers. *Qui verò* de hæret. cap. 8. eod. tit. in 6., cap. 14. de præsumption., quoquo enim modo & ipse sub hæretici nomine continetur, l. 2. §. 1. cod. de hæret., adeo ut si gravissimæ sint suspensionis causæ, possit & poena excommunicationis puniri, aliis deinde puniendis hæreticorum poenis, si per annum pervicax in excommunicatione persisterit, & Ecclesie non satisfecerit, cap. 13. vers. *Qui autem* de hæret., cap. 7. eod. tit. in 6., dicto cap. 14. de præsumption., uti enim superius observabam, contemptus Ecclesie apud contumacem una cum præcedentibus suspensionis argumentis penè demonstrat animum hæretici hominis, sive hæreticis adherentis. Interea verò qui suspectus habetur, sive dum purgationem canonicam subit, sive dum extra ordinem corrigi debuit, ad evadendam hæretici notam ad hæresim abjurandam obliga-

tur, cap. 10. de purgat. canon. in fines, & si post abjuracionem in hæresim lapsus deprehendatur, relapsorum poena puniendus erit, dummodò non levis, sed gravis fuerit suspicio, ob quam ad abjuracionem devenerat, cap. 8. in princ. de hæret. in 6. Non tamen pro suspecto de hæresi statim habendus erit, qui semel, & casu quodam, aut curiositate, sine animo hæreticis adhærendi, hæreticorum prædicationem audiverit, aut in eorum se conventum immiserit, nisi alia concurrant suspicionis causæ, argumento canonis 111. caus. 1. quæst. 1., & capituli 3. de præsumption., quem admodum nec statim pro suspecto habendus erit, qui exercendæ doctrinæ gratia cum hæreticis disputationem iniverit, quamquam & iste, si aliis facultatis disputandi non habeat, non sine poena esse debeat, l. 8. §. ultimo vers. *Eos verò* cod. de hæreticis.

Non solum purganda respublica est flagitiosis hæreticis hominibus, verum etiam prospiciendum ita Catholicis est, ne in discrimen fidei aliquando adducantur. Pertinent ad hanc rem saluberrimæ illæ leges, quibus cautum est, ne passim & generaliter unicuique liceat de fide disputare. Jam veteres Imperatores Christiani cum nosset, turbas passim ab hæreticis agitari, palam & publicè conquirentibus argumenta, quibus hæreses suas probabiles edoceant, sub gravissimis poenis veterunt generaliter, ne in publicis conventibus & fides, & populus turbaretur, l. 1. §. 4. & 5. cod. Theod. de his, qui super religione contendunt. Specialiter Theodosius Magnus anno 388. in l. 2. cod. Theod. cod. tit. ita caverat: *Nulli egresso ad publicum, vel disceptandi de religione, vel tractandi, vel consilii aliquid deferendi pateat occasio, & si quis posthac ausu graviter damnabili contra huiusmodi legem veniendum esse crediderit, vel insistere motu perseveraverit, audebit, competentis poena, & digno supplicio coercetur.* Idipsum statuit Marcianus Imperator anno 459.

in l. 4. cod. Justin. de Sum. Trinit. & Fide Cath.: utraque autem lex, uti liquet in eorum conspectu, ad publicas pertinet disputationes partium studio incedas; neque enim intererat sine publica auctoritate iterum disceptando agitare, quæ in Conciliis auctoritate Antistitum, ad quos ea iurisdicção spectabat, definita fuissent. Reverà admissis publicis disputationibus, primum gravis illata fuisset injuria in Ecclesiam, quæ olim certa dogmata fidei certò præstiterat in Conciliis. Deinde via latissima strata fuisset artibus calumniantium hæreticorum ad illaqueandos infirmiores, quorum etiam plures facillè in sectam suam versutos fallacis abduxissent. Quamobrem etiam si legibus publicis necdum cautum fuisset, ne quis privatim cum hæreticis disputaret, semper tamen propositum fuit saluberrimum consilium unicuique minus erudito in rebus fidei, ut ab his disputationibus abstineret, ac generaliter id laicis interdicti consuevit, utpotè qui divinarum, litterarum studiis non eam navabant operam, qualem Clerici impendebant. Quamquam enim, uti observat Garnerius in Præfatione in omnia opera Marii Mercatoris, aliquando contigerit non sine singulari providentia Dei, qui humilia mundi eligit, ut fortia quæque confundat, ut hæresibus laici homines primi opponerentur, Constantius ex Vicano Romæ habitans Pelagianos contuderit, Eusebius Rethor, vel, uti alii volunt, Iudex forensis Nestorianam hæresim confecerit, Hilarius & Prosper ambo laici adversus Massilienses sex Semipelagianos invicti pugnaverint, imò & palmam retulerint; sancti tamen Viri regulariter laicos, utpotè minus eruditos in doctrina sacrorum, à disputationibus adversus hæreticos incedendis remotos voluerunt. Quare Isidorus Hispalensis ad Claudium Ducem scribens, aiebat: *Sed quod subiecisti, habere te hæreticos, cum quibus assidue disputas, & quos ad fidem Catholicam suades revocare, laudamus zelum, sed audaciam reprehendimus.*

Dicit namque Scriptura divina; qui retigenti picem, inquinabitur ab ea. Cave igitur, dilectissime fili, ut quia Deus triumphalibus trophæis armorum strenuitate prostratis inimicis te fecit victoriosum, hæreticis suasionibus ignominiosè ne victus succumbas; te enim laborante eos ab errore mortis eruere, ipsi invigilant, te in præsepium erroris demerere, à quorum consulatione, & solatio quemlibet Christicolam tanquam à lethifero veneno sub obstructione divini iudicii precipimus abstinere, nisi fuerit in divinis præceptis experientia operum probatus, & sacris eruditus scripturis. Hinc sanè laudanda est Alexandri IV. prudentia, dum sub poena excommunicationis laicis generaliter interdixit, ne aut publicè, aut privatim contra hæreticos disputarent, cap. 2. vers. *Imbitemus* de hæret. in 6. Id postulabat præterea reclus ordo, cum sint in Ecclesia præstituti sacrorum Doctores, quibus id muneris reservatur ad utilitatem reipublice Christiane. Quod si laicis facultas prædicandi denegatur, non erit sanè illis concedenda potestas suis disputationibus curandi, ut hæretici convertantur, ne nimius iste fidei zelus tristitiam aliquando exitum sortiatur, cap. 12. & 14. de hæreticis. Torquentur nonnulli in interpretatione laudatæ constitutionis Alexandri IV. scribentes, se non percipere, quæ ratione laicus in sacris rebus edoctus ab huius generis disputationibus arceatur, è contrario Clericus quilibet etiam minus eruditus sit admittendus: nec defuerunt Glossographi, qui putarunt, mentem potius sequendam esse Alexandri, quam verba, quasi statuerit Alexander, indoctos tantum viros excludi, non doctos, sive laici sint, sive Clerici, & laicorum nomen usurpaverit pro indoctis quibuscumque. Ego sanè non video, cur à germana & propria vocabulorum significatione sit recedendum. Etenim in primis poena excommunicationis, quæ ibidem indicitur, propriè laicorum dumtaxat poena est, quando scimus, Clericos iis in casibus, quibus laici excommunicantur, à gradu suo deici, & tum de-

demum excommunicari, cum post dejectionem à gradu, sint in crimine pervicaces, nisi de atrocissimo flagitio sermo sit, in quo reipublice intersit, statim Clericum omnino & à Clericorum, & ab universorum fidelium cœtu eliminari. Deinde observo, in conspectu illius canonis, non illud absurdum sequi, ut indiscriminatim Clerici etiam minus eruditi ad disputandum cum hæreticis admittantur. Tantum Alexander disputationem laicis interdixit sub pœna excommunicationis, non generaliter eam Clericis universis indulxit. Quod si Clerici noverint se hac constitutione non comprehendi, quoties tamen minus eruditi sint, generalibus præceptionibus prohibitis se perpendent, ac si nihilominus disputare ausi fuerint, non deerit Antistitem censura, imprudentiam & redarguentium. Denique si aliquando laici docti sint, qui valeant acriter, & fortè vividius, quam Clericus in diocesi existens, de fide disputare, non deerit tunc Episcoporum prudentia, qui hanc facultatem illi laico faciant, ubi necessitas, aut utilitas Ecclesie id postulet. Interea ut lex æquissima existat, satis est, ut iis, quæ frequentius emergunt, consulat, neque enim casus omnes singulares legibus comprehenduntur, sed leges iis, quæ frequentius accidunt, accommodantur. Frequentius autem est, aut esse debet, quemadmodum præsumere poterat Alexander in rebus fidei Clericos doctiores esse, quam laicos. Nemo autem in hanc rem opponat canonem 36. in fine caus. 24. quæst. 3., ubi sub nomine Gelasii Papæ in commonitorio ad Faustum scribentis ita legitur: *Canonum magistris atque custodibus nobis nullum fas est inire certamen cum hominibus communionis alienæ.* Num fortè quisquam deducet exinde, non licuisse Pontificibus Canonum præceptoribus adversus hæreticos disputare? Omitto, non desse viros eruditos, qui commonitorium ad Faustum à Gelasio abjudicent. Concedatur illud esse Gelasii.

Primum observanda erunt ipsa Gelasii verba à Gratiano paulisper depravata: deinde eruetur germana Gelasii sententia. Instruebat Gelasius Faustum, Theodorici Gothorum Regis Legatum Constantinopolim profectum ad Anastasium Imperatorem, qua ratione impetrare debuisset Faustus, ut damneretur Arcacius, & Euphemius Acacii successor, qui Constantinopolitanam Episcopalem Sedem Romanæ præferendam contendebant. De his ita scribebat Gelasius: *Sed religiosi viri, atque perfecti (sic Græcos schismaticos ironice nominabat) secundum canones concessam Sedi Apostolica potestatem nimiam conantur eripere, & sibi eam contra canones usurpare contendunt. O canonum magistris, atque custodes! Nobis nullum fas est inire certamen cum hominibus communionis alienæ.* Et itaque Gelasius postquam demonstravit, prærogativam Apostolicæ Sedis jam sacris canonibus agnitam fuisse, redarguit Græcos, quod à definitionibus Ecclesie recessissent; ac propterea subdit, nolle se certamen novum inire cum hominibus alienæ communionis, qui scilicet ecclesiasticas definitiones minime attenderent. Erant Græci jamdiu disputationibus confecti, & de illis nulla omnino spes supererat, futurum, ut novis susceptis disputationibus ad unitatem reducerentur. Cum hoc hominum genere inanis disceptatio fuisset, si non etiam perniciofa. Mihi etiam videtur latere in hac parte commonitorii mira quadam Gelasii prudentia. Euphemius Acacii successor, ut Gelasium infensum faceret Imperatori Anastasio, passim tradebat in urbe Constantinopolitana, Gelasium eundem ab Imperatoris juribus alienum esse, Romanæque urbis Senatuum ad proclamandum in libertatem, & executendum Imperiale jugum suasionibus crebris impellere. Ut hanc calumniam à se Gelasius averteret, insinuatv Faustus, se certamen inire nolle cum hominibus communionis alienæ, id est de hæresi damnatis; ita enim professus, tacite fa-

tebatur, se adherere Imperatoris constitutionibus pridem latis de non disputando de dogmatibus semel definitis, quemadmodum Theodosius Magnus, & Marcianus caverant, dicta l. 2. cod. Theodos. de his qui sup. relig. contend., & dicta l. 4. cod. Justin. de Sum. Trinit. & Fide Cathol., quod idem est ac fateri, se colere Imperatores Constantinopolitanos, eorundemque judiciis morem gerere.

Præterea ad præcavendum hæreseos periculum, cautum fuit ecclesiasticis constitutionibus, ut fideles certis in temporum, & causarum adjunctis actum fidei elicere tenerentur. Non hæc loquor de actu fidei interno, cujus necessitatem Theologi explicant, vel cum quis rationis lumine expleta infantia illustratur, vel cum adversus fidei dogmata cogitationes irrepunt, aliæve similes causæ emergunt. De externa professione fidei sermonem instituo, cujus obligatio, aut jure communi, aut Concilio Tridentino, aut singularibus constitutionibus, vel Dioceseon statutis inducitur, aut firmatur. Jure communi elicere externam fidei professionem in primis tenentur universi, qui ad Sacramentum baptismatis suscipiendum accedunt, can. 55. 56. 58. 59. & 61. de consecrat. dist. 4., adeo ut etiam si de parvulis agatur, per alios, qui præsentés, sint professio fieri debeat. Secundò tenentur quicumque in majoribus Ecclesie ordinibus, seu dignitatibus instituantur, juxta antiquissimam Romani Ordinis disciplinam, can. 8. dist. 16. Ex Concilio Tridentino ad externam professionem fidei obligatur quicumque beneficium curam animarum adnexam habens obtinuit, & quidem intra duos menses à die adeptæ possessionis coram Episcopo, cove impedito, coram Vicario Generali, seu Officiario; item quicumque obtinuit Canonicatum, vel dignitatem in Ecclesia Cathedrali, non solum coram Episcopo, aut ejus Vicario Generali, sed etiam in Capitulo sub pœna

amissionis fructuum beneficii, quin ullo possessionis jure juvetur, sess. 24. de Reform. cap. 12. Cautum præterea fuit in eodem Tridentino Concilio, ut dum Synodi celebrarentur, etiam publica fieret fidei professio, sess. 25. de Reform. cap. 2. Denique singularibus constitutionibus præceptum est, ut externam fidei professionem eliciat, quicumque traditurus est liberales artes, majoresve disciplinas, item quicumque ad prolytarum, doctorumve gradus promovetur, cujus professionis formulam edidit Pius IV. anno 1564. idibus Novembris. Omitto varios dioceseon mores, ac statuta, juxta quæ alii plures professionem fidei edere tenentur, veluti sacri Oratores, Confessarii, & alii ecclesiastici hujusmodi officii addicti, vel addicendi.

Singularia nonnulla sunt in causis hæreticorum statuta, ac recepta. In primis vix opus est adnotare, hæresim inter publica crimina recenseri, contra quam popularis est accusatio, & actio, l. 4. §. 1. cod. de hæret., quæ lex quamquam dicta fuerit adversus Manichæos, & Donatistas, contra quos tunc primum pœna publicationis bonorum constituta est, postquam tamen recentioribus sæculis etiam publicatio bonorum fieri cepit adversus hæreticos omnes, & ad hæreticos omnes facile popularis actio committitur. Imò non solum datur tuncivique accusandi facultas, sed & inest denunciandi obligatio sub pœna excommunicationis, juxta constitutionem *Noverit* 10. Innocentii IV. Singulare illud est, ut adversus hæreticum etiam hæreticus ad accusandum admittatur, eademque ratione ad testimonium ferendum, can. 26. caus. 2. quæst. 7., nisi aliis constet, odio quodam, aut invidia fuisse ad accusationem remere inductum. Præterea etiam adversus absentes judicium institui potest, cap. 7. & 12. de hæret. in 6. Item cum crimini læsæ majestatis in pluribus equiparetur hæresis, imò & longè gravior sit, utpotè quæ non contra hu-

humanam, sed contra divinam majestatem directò effertur, l. 4. §. 4. cod. de hæret., cap. 10. eod. tit., definitum est, ut pœnæ ipso jure, non deum ex sententia judicis locum habeant, & sententia declarandi potius, quam puniendi vim exerat, cap. 19. de hæret. in 6. Singulare quoque est, exemptos ab Episcoporum jurisdictione ab Episcopis ipsis in causa hæreseos posse damnari, sive quòd privilegio suo ceciderint, sive quòd ordinariæ Episcoporum jurisdictioni delegata jurisdictione ex mandato Apostolicæ Sedis ad crescat, cap. 9. in fine de hæret., nisi agatur de Nunciis, vel Officialibus Apostolicæ Sedis, extravag. 3. de hæret. int. comm., qui si tanquam hæretici deprehendantur, munus erit Ordinariorum de eo Pontificem Maximum reddere certiore, ejusdem expectata sententia. Ad jectio his, singularem videri hujus judicii formam, sive quòd Judex simpliciter, & non servata ordinaria judiciorum figura procedere possit, quin testium nomina opus sit publicari, quoties testes in aliquod discrimen adducerentur, cap. ult. de hæreticis in 6., dummodò in recipiendis testimoniis duo saltem religiosi, & probi viri interveniant, cap. 11. vers. *Verum* de hæret. in 6., sive quòd ii etiam testes adversus hæreticos admittantur, qui antea hæreticos celavissent, utut jurejurando interveniente, dummodò non odii aliave simili causa ad prodendos hæreticos accessisse prohibeantur, cap. 8. versic. *Licit* eod. tit. in 6. sive quòd plures Judices vel junctis, vel divisim studiis possint in eadem causa procedere, dummodò ante condemnationem acta communicent invicem, & unà sententiam proferant, si in eadem provincia degant; qua in specie ad Summum Pontificem devolvitur causa, si in diversas partes distrahanatur, cap. 7. de hæret. in 6., Clement. I. eod. tit., quamquam si non in eadem provincia degant, prævaleat sententia ejus qui prævenit, argumento l. 8. ff. de

judiciis, & l. 19. ff. de jurisdictione; sive quòd tabularii munere fungi possit etiam Sacerdotio initiatus, dummodò aliàs idoneus habeatur, dicto cap. 11. vers. *Verum* de hæret. in 6., sive quòd Judices etiam pronunciata sententia valeant eam immutare, pensatis rerum & personarum adjunctis, ac moderari, cap. 12. vers. *Necnon* de hæreticis in 6.; sive denique, quòd post definitivam sententiam regulariter denegetur damnatis appellandi facultas, cap. 18. de hæret. in 6. Dixi à definitiva sententia; et ceterum ab intercalatoria non denegatur, quòd tunc nondum pro hæreticis habeantur, imò & aliquando non erit appellacionis remedium à definitiva denegandum, quoties nimirum reus alleget, Judicem aut odio pronunciavisse sententiam, aut aliàs fuisse corruptum, argumento l. 27. §. 2.; l. 31. & 32. §. 14. ff. de arbitris. Duo verò præcipua sunt argumenta, ex quibus apparet, singulare jus recipi in causis hæreticorum, primùm in persona hæretici damnanda, alterum in persona Judicis competentis.

Itaque in primis singulare illud est, ut adversus hæreticos, non viventes tantùm sed & vita functos & institui, & absolvi judicium possit, nec morte hæretici crimen aboleatur. Duas habet partes hæc observatio. Prima sita est in ea dispositione, an hæreticus vita functus damnari valeat, altera in ea disputatione, an non obstante quocumque temporis lapsu, & accusati institui, & judicium absolvi adversus hæreticos possit. Jam olim adversus Manichæos statutum scimus in l. 4. §. 4. cod. de hæret., ut etiam si obissent, accusari damnarique valerent, ex eo quòd adversus illos graviore, quàm contra ceteros hæreticos pœnæ ab Imperatoribus indictæ fuerant. Cur non similis jurisprudentia recipi deinde potuit in hæreticis universis, præsertim postquam adversus omnes, & quoscumque hæreticos pœna capitalis est præstituta? Ecclesiastici canones in quibus causis de

ana-

anathemate quæstio erat, quæstionem ipsam, sive ageretur de illatione anathematis, sive de absoluteione ab anathemate, etiam post mortem accusati, dirimi instituto judicio comprobaverunt. De absoluteione exemplum est in can. 13. dist. 50., ubi initio refertur, Joannem Chrisostomum à Theophilo Alexandrino in Concilio apud Quercum iniquè damnatum, deinde etiam post mortem fuisse Romæ ab Innocentio Pontifice Maximo absolutum, nomine illius in dyptichis Ecclesiæ Constantinopolitanæ descripto, ac si nunquam à suo gradu, & Ecclesiæ communionem Sanctus Vir decideret. Ferè similis causa fuit Flaviani Constantinopolitani Episcopi olim damnati opera Eutychanorum, deinde post mortem restituti. De condemnatione sufficit respicere ad acta Concilii Constantinopolitani II., seu V. generalis, in quo versata fuit famigerata causa trium Capitoliorum, quorum unum erat, an post mortem damnari posset Theodorus Mopsuestenus, utut in pace Ecclesiæ obiisset. Ibidem autem, & statutum fuit, ritè rectèque damnari posse, & id ex perenni traditione Ecclesiæ comprobatum, uti liquet ex canone 6. caus. 24. quæst. 2. Reverà, uti aiebant iidem Patres Constantinopolitani in can. 9. caus. 24. quæst. 3., anathematizatio post mortem pronuntiata nihil aliud est, quàm declaratio, ex qua liqueat, quemquam fuisse à Deo damnatum, & eodem propterea jure id fieri ab Ecclesiâ potest, quo Ecclesiâ ipsa declarare consuevit, defunctum aliquem justum in Beatorum societatem fuisse admissum. Eadem disciplina confirmata fuit recentioribus sæculis ab Innocentio III. in cap. 28. de sentent. excom. Interea verò cum adversus hæreticos præter anathematis pœnam recepta fuerit altera pœna publicationis bonorum, factum est, ut exemplo pœnæ anathematis, etiam judicium institueretur post mortem de publicatione bonorum, cap. 8. vers. *In eo* de hæ-

ret. in 6. Num autem hæc accusatio post mortem in perpetuum concedatur, adversus quam nulla temporis exceptio utut longissimi proponi valeat, à nostris disputari solet. Sunt qui putant, illam accusandi facultatem quinquennio præscribi, l. 2. cod. de apostatis; alii tantùm ad quadraginta annos accusandi prorogant facultatem ex cap. 2. in fide de præscript. in 6. Mihi distinguendum videtur, an agatur ad pœnam anathematis infligendam adversus defunctum, ne ejus nomea in Ecclesiâ recitetur, nevé pro eo fiant orationes; an verò ad defuncti hereditatem vel fisco, vel Ecclesiis juxta varios Provinciarum mores addicendam. Quoties judicium instituitur ad pœnam anathematis infligendam, puto, actionem nullo unquam tempore circumscribi; id enim in primis postulat natura juris ecclesiasticæ communionis, quæ defunctis in hæresi divino jam irrevocabili judicio damnatis acquiri per tempora utut longissima nequit; deinde idipsum confirmavit constans disciplina Ecclesiæ, quæ in excludendis à Christiana communionem vita functis hæreticis nullam unquam temporis rationem servandam esse duxit, can. 6. caus. 24. quæst. 2., edito ad damnationem Theodori Mopsuesteni jam ante sæculum vita functi. At si judicium instituitur ad pœnam publicationis bonorum, in qua non tam defunctio, quàm possessorum causa versatur, non est, cur præscriptioni non fiat locus, ita ut adversus fiscum publicum possessoribus ordinaria juxta leges Romanas prodesse exceptio valeat, l. 1. §. 3. ff. de jure fisci cum similibus, & adversus Ecclesiâ etiam Romanam, quæ in hac parte nullo utitur singulari privilegio, quadraginta annorum præscriptio, dicto cap. 2. in fine de præscript. in 6. Quid verò est, quòd opponitur ex dicta l. 2. cod. de apostatis, ubi definitur, intra quinquennium agi oportere? De apostatis concepta lex est, non de hæreticis, quorum alia ratio habe-

L

ba-

batur; ut enim superius adnotatum est, generaliter serius poena publicationis bonorum adversus hæreticos recepta fuit. Itaque observandum est, olim Constantium Imperatorem anno 357. prohibuisse Christiano, ne Judæus efficeretur, secus autem facultates ejus dominio fisci vindicarentur, l. 7. cod. Theodos. de Judæis, seu l. 1. cod. Justin. de apostat. Verum facile est conjicere, hanc constitutionem non diu viguisse, cum Constantino successerit Julianus, qui à Christi baptismate defecit ad idolatriam, & superstitiones gentium, acriter etiam Christianos insecutus, unde Julianum passim historici apostatam nominant. Post Juliani obitum opus exinde fuit novis legibus, ut apostatæ punirentur, præsertim quod non multo postea Valentinianus, Valens, & Gratianus anno 371. unicuique liberam fecissent facultatem colendi sectam, seu religionem, quæ placuisset, l. 9. cod. Theodos. de maleficis. Igitur primus Theodosius Magnus anno 381. in l. 1. cod. Theodos. de apostatis ita cavet: *His, qui ex Christianis Pagani facti sunt, eripiatur facultas, jusque testandi. Omne defuncti si quod est testamentum, sublata conditione, rescindatur.* Idem autem Imperator anno 383. amplius progressus est in l. 2. cod. Theodos. eod. tit., ubi distinguit inter baptizatos, & catechumenos, quorum magna tunc temporis erat multitudo; sanciens, ut si de baptizatis ageretur, qui ad Paganos ritus migrarent, illi omnino testamenti factione carerent in quamcumque personam, & essent *absque jure Romano*; at si ageretur de catechumenis, tantum testari possent gratia filiorum, aut fratrum germanorum. Hæc Theodosius in Oriente, qui visus fuit immutavisse præcedentem legem, id est dictam legem 1. cod. Theodos. de apostatis; cum enim in illa dumtaxat caveretur, ut testamentum rescinderetur, quod tantum juxta jus Romanum fieri poterat proposita inofficiosi querela, in altera

deinde subsequente lege anni 383. voluit, testamentum omnino irritum esse. Porrò eodem anno, & post unum diem à constitutione posteriori edita à Theodosio, Valentinianus Junior in Occidente, qui sanè necdum conscius esse poterat posterioris Theodosianæ constitutionis utpotè pridè editæ, sanxit in l. 3. cod. Theodos. eod. tit., ut in primis eadem ratio haberetur Christianorum seu apud Paganos, seu apud Judæos, seu apud Manichæos deficientium; deinde, *ut si qui defunctum violata, atque deserta Christiana religionis accusat; eumque in sacrilegia templorum, vel in ritus Judæicos, vel ad Manichæorum dedecus transisse contendit, eaque gratia testari minime potuisse confirmat, intra quinquennium jure, quod inofficiosi actionibus constitutum est, proprias exera actiones, futurique judicii injuscmodi sortiri exordium, ut eodem in lute durante, cujus prævaricatio criminanda est, flagitii hujus, & sceleris participes fuisse doceatur publica sub testificatione testatus, probet indicium, neque quam superno nomini ratiocinus præsint perfidiam, sceleribus adquirentis prævaricatione deinceps, tanquam ignarus accuset.* Hæc sunt ipsa Valentiniani verba, quæ depravata descripsit Tribonianus in dicta l. 2. cod. Justinian. de apostatis; ex quibus manifestè constat, in Occidente tunc necdum irrita declarata fuisse testamenta apostatarum, sed tantum rescindi proposita inofficiosi querela potuisse, secus ac vigeret in Oriente ex constitutione Theodosii eodem anno, & pridè edita. Verum non multo post & idem Valentinianus II. anni 391. in expresse in Occidente sanxit, ut quicumque apostatæ nullam testamenti factionem haberent, l. 4. cod. Theodos. de apostat., l. 3. cod. Justin. eod., ex quo tempore actum est de meta quinquennii ad proponendam inofficiosi querelam. Arcadius in Oriente anno 396. addidit, apostatis decedentibus patrem, matrem, fratrem, sororem, filium, filiam, nepotem, ac nepem ab intestato succedere, l. 6. cod. Theodos. eod. tit.

tit., & Valentinianus III. in Occidente anno 426. postquam confirmavit veterem constitutionem, qua apostatis adempta fuit testandi facultas, statuit, ut nullis temporibus apostatarum, & apostasiæ accusatio concluderetur, & apostatis decedentibus fieret locus legitimis propinquorum successionebus, leg. 7. cod. Theodos. de apostatis, l. 4. cod. Justin. eod. Itaque his observatis juxta temporum ordinem, concludendum est, leges istas universas non ad hæreticos spectare, sed ad apostatas, quorum odio graviores præstitebantur poenæ, præsertim vero statutum denique fuit, ut testamenti factione carerent, nisi quo tempore, aut quibus in locis viguit laudata lex 2. cod. Justin. de apostatis. Cæterum recentioribus temporibus non solum hæc facta communia sunt hæreticis universis, ut scilicet testamenti factione careant, verum etiam, ut nec legitimis eorum successionebus locus fiat; eamque ob rem quod de quinquennii spatio in dicta l. 2. cautum est, jamdiu abrogatum fuisse tam respectu apostatarum, quam respectu hæreticorum deprehenditur. Igitur nova emersit adversus hæreticos disciplina juris post indiciam adversus eos poenam publicationis bonorum; inde enim aliis regulis subjacere ejusmodi judicia debuerunt. Illud tamen judici post mortem hæretici judicium instituturo observandum erit, ut non primum ad damnationis sententiam deveniat, quam urgentioribus argumentis commoveatur, & longè gravioribus, quam si contra viventem negotium gereretur, præsertim si jam diuturnum tempus præterlapsum fuisset.

Alterum, quod observatione dignum est, eò pertinet, ut dignoscatur, quis iudex competens sit habendus. Quia in re multum interest investigare, an disputatio in jure, an in factis versetur, seu, quod idem est, an sit de hæresi, an sit de hæretici persona judicandum. Juris, sive de hæresi dicitur con-

troversia, cum disputatur, an hæretica neque, sit propositio, quæ judicio causam præbet facti, seu de hæretici persona, cum disceptatur, an aliquis propositionem, quam certo esse hæreticam constat, ediderit, pronuntiaverit, eamque ob rem sit ordinaria poena damnandus, aut extra ordinem coercendus. Si juris, & de hæresi controversia sit, generaliter in primis statuendum est, in iis, in quibus necdum Ecclesiæ definitio prodita sit, gravissimum negotium versari, quod propterea perquam cautissime gerendum est, uti scribebat Augustinus in præfatione libri de hæresibus, ne fortè contingat, ut hæretici habeantur, qui reverà hæretici non sunt, ut aliquando contigisse testatur Gregorius Magnus in l. 9. epist. 39. Agitur hac in re de fide proponenda, quæ & generalis & una in universa Ecclesia esse debet, & quocumque tempore immutabilis, proindeque ad eam definitionem ejus requiritur auctoritas, cujus sit certum, atque infallibile judicium. De generali Concilio nulla esse dubitatio potest, quin definire fidei dogmata possit; adeo enim certa & immutabilis ejus sententia est, uti certum est, Ecclesiam universam errare aut deficere in fide non posse, quando generale Concilium universam Ecclesiam repræsentat. Quoniam verò ad non semper opportunum est, aut difficile ob varia temporum adjuncta admodum videtur, Œcumenicas Synodos celebrari, solebant veteres, ubi expediret, ad coercendas novas in Ecclesia emergentes opiniones Concilia particularia convocare, in quibus aut sacræ litteræ, aut Patrum, ac majorum traditiones explorarentur, atque juxta eas definitio fieret. Quod adeo verum erat, ut vix in tota ecclesiastica antiquitate reperias hæresim ab universa Ecclesia damnatam, quæ pridem in particularibus Conciliis exagitata, ac damnata non foret. At enim dogma fidei in particulari Concilio definitum, quous-

que generalis Ecclesiae consensus non accessisset, propriè dogma fidei dici non poterat, propterea quod particularis Concilii definitio retractari valebat, & aliquando eveniebat, ut in diversis provinciis in contrarias opiniones Concilia ipsa particularia distraherentur; neque enim propriè dogma fidei dici potest, quod non est ubique Ecclesiarum unum, neque est inconstans apud universos, qui in Christiana communione consistunt. Erant illa iudicia Conciliorum particularium veluti graves sententiæ, quibus qui ejus generis Conciliis suberant, adquiescere, morem gerere, aut saltem non contradicere debebant, ne schismata interea suborirentur, & contentiones fierent acriores; nondum tamen ad fidem ipsam pertinebant, quousque ceterarum Ecclesiarum consensus non accessisset; adeo ut quicumque privato iudicio Concilio ex. gr. Provinciali in Provincia ipsa contradiceret, moti schismatis, seu inobedientiæ reus dici potuisset, non propriè in hæresim incidisse: tantum hæreticus erat, quotiescumque propositio in particulari Concilio definita, deinde in Concilio generali confirmata, aut tacitè consensio- ne Ecclesiarum omnium in unitate consistentium comprobata fuisset; quid enim interest, an Ecclesia universa expressè in Œcumenico Concilio sententiam suam aperiat, an tacitè sine convocatione Concilii Œcumenici quidquam comprobet, ac recipiat? Hæc ratio est, quare Episcopi Provinciale Concilium celebraturi adversus novas emergentes sectas, ad præavendam quæcumque schismata passim olim consueverint interrogare variarum Ecclesiarum Antistites, à quibus percontarentur, quid ipsi sentirent, ac crederent, præsertim verò percontabantur majores Episcopos, nimirum Patriarchas, atque inter ceteros Pontificem Maximum Apostolicarum traditionum custodem vigilantissimum. Si enim id in more erat, ubi ageretur de ecclesiastica disciplina; un-

de Africani Antistites in can. 47. codicis Africani consulerunt Siricum Papam, & Simplicianum Episcopum de admittendis in clerum filiis hæreticorum, potiore jure id recipiebatur in causis fidei, unde Augustinus in lib. 2. cap. 3. contra duas Pelagianorum epistolâ sermonem habens de Pelagianis, quorum opinamenta ad Apostolicam Sedem deducta fuerant, ita scribebat: *Per Papa rescriptum causa Pelagianorum finita est, totoque orbe post ejus damnationem damnati sunt, ac litteris Innocentii (Pontificis Maximi) tota de hac re dubitatio sublata est.* Exempla hujus rei antiquissima sunt, adeo ut ab ipsis Apostolis possint facillè repeti. Reverè ipse Apostolus Paulus in cap. 2. epistolæ ad Galatas proficitur, se ascendisse Jerusalem cum Barnaba & Tito, ut cum Apostolis Evangelium à se prædicandum conferret. Scimus insuper, quinto sæculo Africanam Ecclesiam percontatam fuisse Romanam, Antiochenam, & Alexandrinam, ubi de Nicæni Concilii definitionibus discutiendis ageretur. Atque ad id respexerunt religiosi Imperatores, quum in l. 1. cod. de summa Trinitate profidentes se ab omni hæresi alienos, palam protestati sunt, velle se in tali religione versari, quam Divum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usque adhuc ab ipso insinuata delectat, & Petrum Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandria Episcopum, virum Apostolica sanctitatis. Hæc erat vetus Ecclesiæ disciplina. Interea generalis regula tradita, recipere consuevit, ut à majoribus causis dirimendis Episcopi universi abstinerent, in quibus magis magisque firmatum est, quod olim tradebatur, causas fidei ad Sedem Apostolicam referri oportere, ut inde unitas fidei originem ducat, unde etiam ex unitate capitis unitas Christianæ societatis demonstratur, can. 12. 14. caus. 24. quæst. 1., cap. 1. in princ. de baptismo; unde hodie obtinuit, ut cavere Episcopi debeant, ne causas ad fidem per-

pertinentes, in diocesi ipsi dirimant, sed negotium ad Sedem Apostolicam referatur, à qua definitio expectetur.

Quòd si in factò controversia versetur, id est dirimendum iudicium sit de hæretici persona, ecclesiasticam jurisdictionem olim usque ad sæculum decimum tertium exercuerunt Episcopi singularum Ecclesiarum, & Capitula Cathedralium Sede Episcopali vacante, cap. 9. & 13. §. ult. de hæreticis. Primus Innocentius III. sub initium sæculi decimim tertii occasione subortæ hæreseos Albigenisium, & latè serpentis in Gallia, anno 1204. misit in Provinciam Tolosanam, & illi adjacentes, tres Cistercienses Monachos, nimirum Arnaldum Abbatem, Petrum de Castro-novo, & Radulphum, veluti delegatos Apostolicæ Sedis, qui in eos hæreticos inquirerent, pœnasque indicerent. Parum felix, & penè sine exitu fuit hæc delegatio, conquerentibus Episcopis in ea vicinia constitutis, id potius in sollicitudinem suam referendum fuisse, adeo ut laudati Monachi de abdicando legationis munere deliberarent. Contigit tunc, ut Romam venisset ab Hispania Didacus Episcopus Oxoniensis una cum S. Dominico Ecclesiæ illius Canonico. Hos Innocentius misit in Tolosanam Provinciam, ut junctis studiis cum laudatis tribus Monachis delegatis hæreticos Albigenes prædicatione, ac jurisdictione insequerentur. Et Didacus, & Dominicus mandatum Pontificis executi sunt. At Didacus post biennium ad Episcopalem Ecclesiam suam reversus, opus universum absolvendum Dominico reliquit. Dominicus ut impensus in eam curam incumberet, aliquot sibi sacculares Sacerdotes adjunxit, obtentaque circa annum 1217. ab Episcopo Tolosano S. Romani Ecclesiæ, ibidem sui Ordinis jecit fundamenta, quem paulo postea Honorius III. Innocentius III. successor confirmavit. Adversus Albigenes instructi quoque fuerant exercitus

religiosorum Principum auctoritate, quam excitaverat Lateranense Concilium sub Innocentio III. celebratum; atque in his adjunctis Dominicus cum sociis nihil diligentè omittebat, monitis, prædicatione, & intercessionibus apud Principes, quibus Albigenes conficerentur. Anno 1229. ex mandato Gregorii IX. sub Cardinale S. Angeli Pontificio Legato celebratum fuit Concilium Tolosanum, in quo multa contra hæreticos constituta adparent, omni tamen sollicitudine in Ordinarios collata. Sed anno 1231. Dominicanis officium inquisitionis adversus hæreticos à Gregorio IX. mandatum est, quod & confirmatum est ab Innocentio IV. anno 1251. in Constitutione, quæ incipit *Ad extirpanda*, ubi tamen etiam Episcopis inquirendi facultas adseritur. Imò recentioribus sæculis, temporibus nimirum Pii IV., Pii V., & Sixti V. Romæ instituta Congregatio fuit sub nomine Sancti Officii, à qua inquisitores in Provinciis constituti penderent, data facultate inquirendi, & judicandi non solum de ipsis hæreticis, sed & de criminibus cæteris, quibus admissis quisquam in gravem suspicionem hæreseos inducatur, quale est schisma, sortilegium, divinatio, magia, abusus Sacramentorum, & his similia, uti deducitur ex Constitutionibus Gregorii XIII., Innocentii VIII., Pauli III., & Clementis VIII. Quod Inquisitionum officium ut ritè appositè obiretur, saluberrimè caverunt Pontifices Maximi, ut illud non demandarent, nisi viris spectabilibus, atque gravissimis, quorum probitatem, integritatemque nulla omnino suspicio læderet; aliis enim eo munere abutentibus voluerunt excommunicationis pœnam imminere, à qua non nisi à Pontifice Maximo absolvi possent, Clement. 1. vers. *Ventum*, & Clement. 2. de hæreticis. Voluerunt præterea aliquando, ut nemo ad illud gerendum munus advocaretur, nisi ætate gravis, & annorum saltem quadraginta, dic-

dicitur Clementi 2, quamquam deinde Paulus III. in Constitutione 324. §. 8. triginta annorum aetatem satis idoneam esse decreverit. Idem autem non tam Romani Antistitis, quam Apostolicæ Sedis legatione funguntur, eamque ob rem etiam mortuo Romano Antistite in munere perseverant; ut utiudicium minime coperint, cap. 10. de hæret. in 6., argumento capituli 5. de rescriptis in 6. Hæc tamen ita intelligenda voluerunt iidem Pontifices Maximi, ut per delegatos inquisitores non excluderentur Episcoporum officia; etenim in primis gratia Episcoporum cautam scimus, ne delegati Pontificii sine speciali mandato adversus eosdem Episcopos licet hæreticos iudicium instituerent, concessa tantum ipsis facultate causas hærescos ad Pontificem Maximum deferendi, à quo censura expectetur, cap. 161. de hæret. in 6., deinde scimus, definitum fuisse, ut iunctis, quoad fieri possit, animis & Inquisitor delegatus, & Ordinarius ad dirimendas hæreticorum causas unâ concurrant, nisi fortè Ordinarii ipsi reis criminum impiè favore deprehenderentur, cap. 12. eod. tit. in 6. ita ut si invicem dissentiant in ferenda sententia, quemadmodum prænotatum est, ad Pontificem Maximum causa referatur, cap. 17. eod. tit. in 6.

Patec nunc subiicienda sunt de schismaticis, quorum nomine veniunt illi, qui in fide, & dogmatibus fidei consentiunt, sed sese à Prælatorum obedientia submovent, ac propterea Ecclesiam dividere deprehenduntur. Siquidem unitas Ecclesie in duobus agnoscitur; quorum primum est, ut fides eadem sit & ubicumque, & quoadcumque; alterum, ut ordinum & graduum ratio habeatur, & inferiores Prælati sp̄s obtemperent. Primum unitatis fundamentum hæretici, schismatici alterum concutiunt, can. 7. caus. 7. quæst. 1., can. 42. caus. 27. quæst. 5. Non una tamen eademque est schismaticorum omnia-

rum ratio. In primis alii sunt, qui tantum ab Episcopi sui obedientia recedunt, profitentes se in Antistitum majorum, præsertim Pontificis Maximi obsequio esse. Hos etiam schismaticos dixeris, can. 7. caus. 7. quæst. 1., neque enim licet, Prælati jurisdictionem potestatemque declinare, cum si quis à Prælato suo gravari se sentiat, parata habeat juris auxilia, can. 30. caus. 11. quæst. 3. cum similibus. Alii sunt, qui non singularis tantum Prælati sui potestatem excutiunt; sed & Pontificem ipsum Maximum aversantur, sese ab ejus obedientia generaliter subducentes. Hos detestabiliores schismaticos dixeris, & parum ab hæreticis distantes; vix enim schismatici hujus generis esse possunt, quin & quoquo modo dicantur hæretici, can. 26. caus. 24. quæst. 3. Quale enim demonstrari in Ecclesia potest subortum schisma adversus Sedem Apostolicam, cui adhærentes in aliquam hæresim non declinaverint, si eos casus excipias, quibus inter plures ad Apostolicam Sedem electos divisio eligentium suffragiis contendeatur? Imò & hæretici ipsi in more illud habuerunt, ut dum novis opinionibus Christianam fidem turbaturi essent, statim se ab Apostolicæ Sedis auctoritate subducerent. Deinde alia commodè tradi potest schismatis partitio, quæ præcedentem partitionem clariorē facit. Videlicet triplex distinguitur schismatis genus, aliud sanè alio damnabilius. Primum est, quod sine hæresi esse nullo modo potest, quando qui se ab Ecclesia dividunt, non factò tantum se dividunt, sed & putant Ecclesiam dividi posse. Errant isti in fide, quæ docet, unam & individuum Christi Ecclesiam esse. Alterum est, quando quidam factò tenus se dividunt, licet reverà non posse Ecclesiam dividi profiteantur: quod sanè si non hæreticum apertè dixeris, hæresi tamen proximum esse videtur ob gravissimam hæresos suspensionem, præsertim si schismatici in concitato schis-

ma-

mate perseverent. Quid enim schismatici isti responderent, si interrogarentur, quare se dividerint, & ad unitatem reverti nolint; nisi aut se omninò extra Ecclesiam velle consistere, aut censere etiam divisionem Ecclesiam partem? Igitur ab hoc schismate ad hæresim non nisi unus est, & quidem facilis gradus. Postremum est, quando quis Ecclesiam dividit, ignorans quis de pluribus contententibus de Episcopatu, vel Pontificatu Maximo verè sit illam dignitatem adeptus. Non hic putat Ecclesiam posse dividi, ita ut aut acephalus, seu sine capite, & Pontifice esse velit, aut pluribus Pontificibus æquè subesse: neque hic factò se à Prælato segregat; tantum ignorat, quis sit Prælati, cui jure obsequium & obedientia debeat; imò fortè etiam ipse unitatis amore, aut nemini ex electis parebit, quòd neminem tanquam legitimum Pastorem pensatis adjunctis agnoverit; aut uni ex electis potius obtemperabit insuper habitis cæteris, quòd eum tanquam legitimum Antistitem probabilioribus argumentis crederit. Refert Theodoretus lib. 5. cap. 23., hujus generis schisma fuisse concitatum in Antiochena Ecclesia, qua vacante divisio eligentium suffragiis electi duo fuerant, Flavianus, & Evagrius, & de alterutro prærogativa gravissimè dubitabatur, interea verò excusatos fuisse quoscumque alterutrius partis, studia traxissent. Ac enim observandum est, excusatione dignos fore, aut saltem indulgentia, ac clementia schismaticos hujus generis, ita ut à schismaticorum penis facile absolvantur, quoties, quòd Deus avertat, controversia maximè dubia etiam apud probos & religiosos viros habeatur, uti aliquando contigisse ferunt; cæterum ut excusationem, vel veniam mereantur, oportet primum, ut saniori parti adhærere conentur, deinde ut parati sint pacato animo, & sine seditione in eam partem transire, quam deinde noverint sanioiorem. Avertat Deus

ab Ecclesia sua hujus generis dissidiorum causas, in quas si fortè quadam ætas incideret, exemplar egregium vetus ad pacandas controversias proponi posset. Nimirum sub finem anni 418. post obitum Zozimi Papæ miserando schismate discussa fuerat Ecclesia Romana, ad quam ab aliis evectus fuerat Bonifacius, ab aliis Eulalius. In gravi facti dubitatione ad Synodum Episcoporum delata controversia fuit, quorum iudicio definitum est, prævalere Bonifacii electionem. Nec mora: statim parati omnium animi Bonifacium receperunt. Imò & Eulalius ipse, & Bonifacius insignis moderationis exemplum præbuerunt. Nam Eulalius non quievit modò, ne paritè tantum, sed & post mortem Bonifacii utur à Romanis rogatus, si fides est libi Pontificalis auctori, Pontificatum Maximum recusavit. Bonifacius autem diu doluit, tantum schisma occasione electionis suæ concitatum fuisse, & rogare non dubitavit Honorium Augustum, ut auctoritate etiam sua futuris hujusmodi casibus provideret. Epistola Bonifacii habetur in can. 1. dist. 97. Rescriptum Honorii legitur in can. 2. dist. 97., & in can. 8. dist. 79.

Itaque si de penis adversus schismaticos infligendis sermo sit, legum sanctiones ad schismaticos tertii generis minime pertinent, quoties isti aut omninò in dubitationem adducti fuerint unâ cum viris pluribus vitæ integritate, & doctrina præstantibus, & dum ignorant cui potius parti adhærere, interea in suspensio ita dixerim manent, aut arbitrati unâ cum viris & integritate vitæ, & doctrina præstantibus, potioiorem esse unius quam alterius causam, uni potius, quam alteri adhærere, parati animo ad obsequium illi, cujus deinde legitimum jus in Ecclesia asseratur. Tantum imminet illis pena schismaticorum, qui in primo, vel in secundo schismaticorum genere sunt constituti. Nemo sanè ex istis juxta veterum canonum sanctionem in Ecclesie communio-

nione consistit, ob individuum fidelium in Ecclesia consistentiam unitatem, eamque ob rem anathemate damnati ipso jure dici possunt, can. 5. 6. & 9. caus. 7. quæst. 1., can. 19. caus. 16. quæst. 7., can. 42. 43. caus. 23. quæst. 5. can. 19. 23. 31. & 34. caus. 24. quæst. 1., proptereaque ad obtinenda, vel retinenda ecclesiastica beneficia, & ad quæcumque jura Christianæ communioni coherencia inidonei. Sunt qui distinguunt inter eos schismaticos, qui à Pontifice Maximo, & inter eos, qui ab Episcopo suo recedunt; & priores dicunt quidem ipso jure anathemate damnatos, posteriores non anathemate damnatos ipso jure, sed sententia judicis posse anathematis pœna damnari. Discriminis causam in eo collocant, quod sejunctus ab obedientia Pontificis Maximi vinculum unitatis omnino dissolvitur; at qui tantum ab Episcopo suo se segregaverit, & adhuc adhaereat cum Pontifice Maximo, adhuc unitatem retineat in ea parte, qua Pontifici Maximo subest. Mihi placere non potest hæc opinio, quamquam enim fatear, gravius delinquere eum, qui supremi Ecclesiæ Pastoris, quam qui Prælati sui singularis potestatem declinat, tamen alterutrum sufficit, ut quis ab Ecclesia alienus dicatur. Reverà in Pontifice quidem Maximo, veluti Christi Vicario positum esse primum Ecclesiæ fundamentum; nihilo tamen minus etiam ex divino jure unitas fidelium varis in dicecibus ac Provinciis constitutorum coalescit ex eo, quod unusquisque Episcopo suo subjiciatur, & per Episcopum Pontifici Maximo subiectum etiam Pontificis Maximi auctoritati fiat obnoxius, & satis est in parte rescindere unitatem ordinis, licet non undecumque rescissa sit, ut extra Ecclesiam, quæ una undecumque, & necessariò est, abiisse quisquam credatur. Iterum hæc observo, quod superius observabam, unitatem Ecclesiæ ex duobus pendere, quorum primum est professio unius ejus-

demque fidei, alterum est subjectio sacerdotibus à Deo ipso ordinatis. Quemadmodum ergo qui unitatem fidei dissolvit, & hæreticus dicitur, non solum recedit ipso jure ab Ecclesia, si fundamentalibus fidei articulis non adsentitur, putà iis, qui in Apostolorum Symbolo continentur, sed etiam si retenta fundamentalium fidei articulorum professione alla dogmata respuit, diciturque fidei unitatem rescindere, licet unitatem servet professionis in primis fidei principiis, ita recedit ipso jure ab unitate Ecclesiæ, non solum qui primarum potestatem à Christo institutarum, sed etiam qui cæterarum jugum à se excutit. Videò, qui causa fuerit, cur nonnulli ex Pragmaticis in hac disputatione dubitare visi fuerunt. Nimirum in cap. 1. de schisma. observantur constitutum, eos, qui sponte de tenendo schismate juramentum præstiterunt, ab ordinibus, & dignitatibus manere suspensos; & in cap. 2. eod. tit. decretum, schismaticos posse ab ordinis exercitio repelli, quæ profectò dici de iis non potuissent, qui in Ecclesia amplius non consistent. At enim observare potius debuissent, ea capita ad singulares causas pertinere, & generalem disciplinam præferre non posse. Quod in primis spectat capitulum 1. de schisma. editum in Lateranensi Concilio Alexandri III., certum est, de iis esse conceptum, qui adhaerent electioni Octaviani electi in Pontificem Maximum contra electionem Alexandri III., item conceptum esse de schismate Guidonis, qui modò Octaviani partibus adhaerebat, modò renovata electione sibi à pluribus de latum Pontificatum Maximum acceptaverat. Per plures annos hoc schisma turbaverat Ecclesiam Romanam, & unusquisque ex electis contententibus pœnis depositionis in Clericos, & anathematis in universos sibi contradicentes sua jura vindicabat, adeo ut celebratis ad sedandas controversias Conciliis, modò Alexandri, modò Octaviani gra-

gratia res definiretur, nec nisi post viginti ferè annos prævaluerit causa Alexandri, definita in Concilio Turonensi, ac seriùs confirmata in Concilio Lateranensi anni 1179. Porro quousque causa definita non fuerat in Ecclesia, cum schismaticis indulgentius agendum erat, utpotè qui in dubio versarentur, & plurimi saltem eorum ignorarent, cui potius adhaerent. Quid mirum igitur, si tùm demùm excommunicarentur schismatici, aut suspenderentur, cum contumaces existerent Statutum, quod legitur in dicto cap. 1., editum primum fuit in canone 9. Concilii Turonensis adversus schismaticos, qui adhaerebant electioni vel Octaviani, qui nomen Victoris IV., vel Guidonis, qui nomen Paschalis II., assumpserant; deinde confirmatum est in Concilio Lateranensi. Ibidem autem legitur, eos, qui contrarie præsumperint, excommunicatoni subjacere. Ac reverà post statuta Turonensia, & Lateranensia agnita fuit in Ecclesia tanquam legitima Alexandri III. electio, & post hanc agnitionem, tanquam excommunicatus veluti omni dubitatione cessante habendus erat, qui Alexandro non paruisset. Quòd si subjicitur, eos manere suspensos, qui juramentum de tenendo schismate præstiterunt, ad eos pertinet, qui jurejurando se obstrinxerant Octaviano, & Guidoni, antequam compertum habuissent jus Alexandri; & quando futurum sperabatur, ut Alexandro parerent, suspensionis tantùm erant censura terrendi, ut quantociùs ad unitatem reverterentur. Addidit Alexander III., se in ea re innovavisse decretum sui prædecessoris Innocentii; quod refertur ad Innocentium II., contra quem factò in Romana Ecclesia schismate electus erat à nonnullis in Pontificem Ma-

ximum Petrus Leonis. Statutum autem fuerat in Lateranensi Concilio anni 1139., ut ordinationes à Petro Leonis Antipapa factæ tanquam vacuæ & irritæ haberentur. Venio nunc ad capitulum 2. de schismaticis. Sed ibidem non de pœna schismatici agitur, sed de pœna illius, qui à schismatico Episcopo ordinatus fuisset. Is sanè dicitur deponendus ab officio, quousque cum eo non fuerit ex indulgentia dispensatum. Multum autem interest inter pœnam schismatico inferendam, & pœnam inferendam illi, qui à schismatico fuerit ordinatus. Non enim certum est, ordinatum à schismatico schismati adhaerere, tantùm suspicio schismatis suboriri potest. Itaque schismatici ipso jure anathemati subjiciuntur; extra ordinem etiam pro modo seditionis coerceri possunt, non tamen cæteris pœnis, quibus plectuntur hæretici, puniuntur. Quando verò in unoquoque damnabili schismate suboriri solet suspicio hæreseos, receptum est, ut schismatici etiam pœnis hæreticorum subjaceant, si, postquam ad unitatem legitimè vocati fuerint, redire contempserint, cap. un. de schismaticis in 6. Quòd si penitentia ducti revertantur ad unitatem, non erunt sine abjuratione sui schismatis recipiendi, hæreticorum exemplo, cujus abjurationis formula exhibetur in can. 9. caus. 1. quæst. 7., & reversi tùm demùm poterunt adepti olim officia, aut beneficia recuperare, vel ad alia promoveri, cum fuerit cum ipsis ex indulgentia dispensatum, can. 5. caus. 9. quæst. 1., cap. 5. de elect., cap. 5. de donation., dicto cap. 2. de schismat., extrav. un. cod. tit. int. communes.